Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2973

Quelle:
Copyright:

magno numero ſequuntur, non texam Catalogum; notabo tamen peculiares quasdam. *Fol.* 225. legitur *Miſſa contra Judices male agentes*, et *Miſſa contra Tyrannidem. Fol.* 237. *Miſſa Siſmundi regis pro Febricitantibus*, quo pertinet illud *Gregorii Turon. L. I. de Gloria Mart.* C. 75. *Si qui nunc frigoritici in eius honore Miſſas devote celebrent, ejusque* (Siſismundi) *pro requie Deo offerant oblationem ſtatim compreſſis tremoribus, reſtinctis febribus ſanitati priſtinae reſtaurantur.* Idem adſerit *Vita* T. I. *Maji Bolland.* p. 87. *Fol.* 244. p. 2. *Miſſa communis*, ſcilicet pro Papa, Rege, Epiſcopis, Abbatibus et *omni congregatione et familia Sancti Georgii*, cujus nomen eraſum in prima *Oratione* legitur tamen in *Orat. Ad compl.* unde conjicio *Sacramentarium* iſtud non ad S. *Germanum Spirenſ.* ſed ad aliquod D. *Georgii* Coenobium pertinuiſſe, fuiſſeque temere compactum cum Parte priore Codicis. *Fol.* 254. *Miſſa* (Defunct.) *pro cujus Anima dubitatur. Miſſa Poenitentiam deſiderantibus et minime conſequentibus.* Huic char. quadr. praemittitur ſequens Canon: *Si quis Poenitentiam petens dum Sacerdos venit, fuerit officio linguae priuatus, conſtitutum eſt. Ut ſi idonea Teſtimonia hoc dixerint. et ipſe Aeger per motus aliquos ſatisfecerit. circa eum impleantur omnia vt mos eſt. Fol.* 258. *Miſſa Heinrici Imperatoris Specialis in Babenberhc.* et *Miſſa Cbunegundę Imperatricis.* Neutra ad illorum honorem, ſed pro utriusque Salute, et ut mihi videtur, dictae *Bambergae* in Anniverſario Obitus, usque dum Sanctorum Albo adſcriberentur. Citant eas *Bollandiani T. III. Jul. ad diem* 14. p. 714. Adhaerent *Epiſtolae* et *Evangelia* ad varias *Miſſarum* hactenus enumeratarum pertinentia, manuque alia exaratae *Miſſae S. Barbarae*, *S. Nicolai*, et recentiore calamo *S. Guilielmi* et *S. Aegidii.*

DCCCXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. 334 ut videtur XII. Folior. nunc 129. f. pereleganter exaratus, rubricisque diſtinctus, et olim ad Canonicorum Regular. *S. Hippolyti in Auſtria infer.* Collegium pertinens *Liturgicus* eſt, Partesque in Miſſa a Choro cantari ſolitas, puta *Introitum*, *Pſalmum*, *Graduale*, *Verſus*, *Offertorium* et *Communionem* notationibus *muſicis* ſuperimpoſitis complectitur. Initium ducitur a *Dominica I. Adventus.* Inter *D. Stephani* et *Johannis Evang.* Feſta inſerta eſt Miſſa *de Vigilia Apoſtolorum*, inter *Natalem S. Silueſtri* et *Dominicam infra Octav. Nativit. Miſſa in Octaua Domini de S. Maria*, quam ſequitur *Dominica infra Oct. Domini* nulla *Circumciſionis* mentione facta. Usque ad *Septuageſimam* Dominicis inmixta ſunt Feſta SS. ſed non niſi antiquiſſimorum; deinceps autem usque poſt *Dom. V. a Paſchate* omnia tantum de tempore. In officio *Sabbati S.* occurrit Hymnus: